Dicendo pater est deus non tamen econuerso nomen per
sonale possit predicari de nomine essentiali, Dicendo de
us est pater. Unde concedebant istam. tres persone sunt
vnus deus. sed negabant istam. vnus deus est tres perso
ne. Istam opinionem reprobat magister in litera. ostendens
quod secundum fidem catholicam vtraque istarum est vera. et confir-
mat dictum suum autoritatibus sanctorum. vt patet in lite-
ra. igitur etc.

## Sequitur distinctio quinta.

Post hec queritur Utrum etc. Ista est distinctio
quinta. In qua magister. Ostenso quod in diui
nis sit generatio inquirit an essentia est gene-
rationis terminus. Et circa hoc tria facit. Nam primo
mouet et determinat questionem. Secundo inducit instan-
tiarum obiectionem. Et tertio quarundam subdit autorita-
tum expositionem. Primum agit a principio distinctionis
vsque ibi. Predictis antem videtur esse contrarium. Secun-
dum ab inde vsque ibi. Benedicitur quoque ex illis ver-
bis. Tertium vero ab inde vsque ad finem totius distin-
ctionis. In speciali vero sententia magistri stat summa
rie in tribus propositionibus. Quarum prima est hec.
Diuina essentia non est generans neque generata. Et
probatur sic. Illud non est concedendum. quo concesso se-
queretur essentiam diuinam non esse essentiam vel ean
dem rem generasse seipsam. Uel esse a seipsa genitam.
sed essentiam diuinam originare. seu esse genitam est
huiusmodi. igitur tenet argumentum. et maior est nota
sed minoris probationem magister in litera introducit

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-ii-599/0016
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG